

DISTINCTIO IX

Brevis, ac resoluta divisio huius distinctionis, in qua coaeternitatem divinarum personarum diligenter Magister inquirat.

NUNC AD DISTICTIONEM PERSONARUM etc. Postquam magister determinavit de divina generatione, in ista parte determinat de generatoris et geniti coaeterna duratione. Et dividitur in duas partes: quoniam primo tangit coaeternitatem patris et filii quantum ad modum essendi; secundo quantum ad modum praedicandi et significandi ibi, hic quae potest etc. Prima dividitur in quattuor partes. Nam primo praemittit divinarum personarum distinctionem; secundo annectit patris et filii aequalem durationem; tertio contra hanc veritatem inducit haereticorum obiectionem; et quarto refellit obiectionis praesumptionem. Secunda ibi, Genitus est enim etc. Tertia ibi, sed contra hoc dicit. Quarta ibi, sed quaeris, inquit. Tunc sequitur illa pars. Hic quaeri potest etc. Et dividitur in duas, quia primo praemittit quandam sententiam disputabilem, et dubiam. Secundo infert unam conclusionem determinate tenendam ibi, dicamus ergo filium. Prima in duas, quia primo ponit dicta doctorum, quae videntur sibi mutuo repugnare. Secundo nititur huiusmodi dicta in veritate concordare; secunda ibi, sed ne tanti. Prima in duas, quia primo ponit auctoritates affirmantes, quod non semper nascitur filius. Secundo illas, quae dicunt quod semper gignitur, seu nascitur filius, ibi: Origenes vero. Hic quaero circa distinctionem nonam.

Quaestio I

An pater sit prior filio?

Resolute elicitur ex hoc quaesito, nullam realem prioritatem dari in divinis, neque respectu generationis activae et paternitatis, neque respectu eiusdem et processioneis, atque activae spirationis, unde sequitur tandem nullo pacto patrem in divinis esse priorem filio.

UTRUM PATER SIT PRIOR FILIO? Et videtur quod sic, quia omne generans est prius genito, pater est generans filium, ergo etc. Maior patet, quia agere praesupponit esse, ergo oportet quod pater sit antequam generet. Minor patet ex fide. IN CONTRARIUM est magister in littera in illa 9. distinctione ubi ait: Genitus est a patre filius, et ideo filius, nec tamen ante pater fuit, quam filius. Coaeternae enim sibi sunt tres personae. Hic primo est videndum, utrum generatio activa sit prior paternitate? Secundo, utrum huiusmodi generatio sit prior processione? Tertio, utrum paternitas sit prior spiratione activa? Et quarto utrum pater sit prior filio? AD QUORUM omnium intelligentiam est notandum, quod 7. sunt modi prioritatis, ut patet 5. Metaphysicae. Primo modo dicitur aliquid prius secundum tempus, puta prius duratione. Secundo dicitur prius secundum locum, sicut ignis est prius, seu prior aere, quia propinquior est primo loco, puta circumferentiae caeli. Tertio secundum motum, sicut illud, quod propinquius est primo moventi, sic enim puer potest dici prior seipso existente viro, quia minus distat a suo primo principio motivo. Quarto, secundum potentiam, sic agens est prius patiente et universaliter movens prius est moto. Quinto, secundum ordinem, sic dux potest dici prior milite, quia est propinquior regi. Sexto dicitur aliquid prius cognitione, sic diffinientia sunt priora diffinito. Septimo, aliquid est prius altero natura, sic unum est prius duobus, et substantia est prior accidente. De primis quinque modis concorditer omnes consentiunt, quod in divinis nec sit prius, nec posterius, de sexto tamen et septimo dicta doctorum dissentiunt, ideo quantum ad illos duos modos praedictas quattuor clausulas pertractabo.

QUANTUM ERGO AD primum, utrum generatio activa sit prior paternitate? Dico quod inter generationem et paternitatem non est aliqua prioritas secundum modum septimum, puta naturae, quia, ubi non est distinctio naturae, ibi non potest esse prius natura; sed generatio activa et paternitas non sunt distincta natura, ergo etc. Maior patet, quia qualis est prioritas inter aliqua, talis est distinctio inter ea. Minor etiam patet, quia generatio activa et paternitas dicunt eadem rem simpliciter indistinctam. 2. Praeterea, si esset inter ea prioritas naturae, aut generatio esset prior paternitate, aut econverso. Non primo modo, quia agere praesupponit esse, vel saltem non poterit esse prius eo. Sed pater generans in esse personali constituitur ipsa paternitate, ergo generatio, quae est sua propria actio, non poterit esse prior paternitate, patrem in esse personali constituyente. Nec secundo modo, quia paternitas et filiatio sunt simul natura, cum sint opposita relativa, ergo respectu cuiuscunque filiatio non potest esse prior, nec paternitas respectu eiusdem poterit esse prior, sed filiatio non potest esse prior generatione, ergo nec paternitas poterit esse prior ea. SED QUANTUM ad sextum modum prioritatis, puta prius ratione, dico quod generatio poterit dici uno modo prior paternitate, et alio modo posterior ea. Quia paternitas divina potest dupliciter considerari. Uno modo, ut est relatio. Alio modo, ut est proprietates personae constitutiva. Nam paternitas ut est relatio, tunc respicit per se terminum ad quem est, sed ut est proprietates, tunc respicit per se suppositum, in quo est, quod enim relatio personam divinam constituat, hoc non habet ut relatio est, sed ut divina est, et idem realiter existens cum divina essentia, ergo alio modo cognitionis intelligitur paternitas ut relatio est, et alio modo ut constitutiva est. Si ergo intelligitur ut relatio est, tunc modo nostro cognoscendi est posterior generatione, quia modo nostro cognoscendi relationes dictae modo potentiae ex actionibus innascuntur, ut patet 5. Metaphysicae sed paternitas et filiatio sunt relationes modo potentiae, ut patet ibidem, ergo etc. Si autem paternitas accipitur ut est constitutiva proprietates suppositi generantis, sic modo nostro cognoscendi est prior generatione, quia modo nostro cognoscendi actus secundus est posterior actu primo, sed generatio modo nostro cognoscendi etiam in divinis se habet ut actus secundus, principium autem constitutivum personae generantis se habet ut actus primus, ergo etc. Haec tamen nullam arguunt prioritatem ex natura rei; quia isto modo [147] idem potest esse prius seipso, sub alia et alia ratione ad seipsum comparatum, nam paternitas considerata ut relatio est prior seipsa considerata ut est personae constitutiva quia illud secundum nostrum modum cognoscendi prius rei convenit, quod est intimius sibi, et a quo per intellectum minus potest absolvi. Sed per nullum intellectum paternitas potest absolvi a ratione relationis, potest tamen absolvi a ratione constitutivae proprietates, ergo etc. Maior patet. Probo minorem, quia nullus intellectus potest rem absolvere ab eo quod directe praedicatur de ea in primo modo dicendi per se. Sed relatio praedicatur de paternitate in primo modo dicendi per se, et per consequens est de intrinseca sua ratione, seu formali. Sed esse constitutivum personae non videtur praedicari per se, nec in primo, nec in secundo modo de ipsa paternitate, quia omnis propositio per se debet esse de omni, ut patet I. Posteriorum. Sed illa propositio, paternitas constituit personam, non est de omni, cum constituere non conveniat omni paternitati. SED FORTE dicetur mihi quod illa dicta destruunt seipsa, quia quicquid est prius priore, etiam est prius posteriore, ergo, si paternitas considerata ut relatio est prior seipsa ut proprietates constitutiva, et eadem paternitas considerata ut proprietates constitutiva est prior generatione, sequitur quod eadem paternitas considerate ut relatio sit prior generatione, cuius oppositum tamen expresse ponis. RESPONDEO et dico quod quicquid est prius priore est prius posteriore, manendo infra eundem modum comparisonis, qui tamen modus si mutatur nihil concluditur, quia fallacia accidentis committitur. Sed in proposito modus comparisonis mutatur, quia alius est modus comparisonis, qua paternitas considerata ut relatio comparatur ad seipsam, ut est constitutiva, et alius prout paternitas sub hac duplici ratione comparatur ad generationem. Et licet nullum simile creatum ad illius summae deitatis mysterium declarandum sufficiat, possumus tamen illud aliquo exemplo manuducere. Homo enim albus si comparatur ad esse rationale et ad esse album, tunc certum est quod prius sibi convenit esse rationale quam esse

album; si tamen idem homo secundum hos duos modos essendi comparatur ad unum modo agendi, puta ad disgregare, tunc certum est quod hoc prius convenit homini ut est albus quam ut est rationalis, sic etc. Potest etiam dici quod non est inconveniens idem esse prius seipso ratione, secundum aliam et aliam comparisonem factam per intellectum, ergo etc.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum generatio activa sit prior processione, pono conformiter ad praecedentia duas conclusiones. Prima est quod generatio in divinis non est prior natura processione Spiritus Sancti. Nam, si esset prior natura, tunc esset dignior et perfectior ea. Consequens est falsum, quia emanationum dignitas et perfectio pensanda est ex terminis. Si ergo generatio esset perfectior processione, tunc filius, qui est terminus generationis, esset perfectior Spiritu Sancto, quod est contra fidem. Consequentia patet 5. Metaphysicae. Dato etiam quod ista consequentia aliquando in rebus materialibus patiatur calumniam, tamen in separatis a materia, de quibus ad praesens loquimur, simpliciter est vera. Quod autem sit prior ratione patet, quia modo nostro intelligendi productio, qua aliquid producitur, semper videtur esse prior illa productione, qua tale productum alterum producit. Sed Filius producitur generatione et ipse producit Spiritum Sanctum activa processione, ergo generatio videtur esse prior processione et maxime apud nostrum intellectum, qui ratione iam dicta simultatem harum emanationum nequit comprehendere. SED FORTE dicitur quod generatio divina sive verbi productio, cum sit secundum perfectum intelligere, videtur praesupponere actum amoris et complacentiae, quia perfectum intelligere non potest esse sine perfecta voluntatis intentione, quae perfecta intentio esse non poterit sine amore et complacentia. Cum ergo Spiritus Sancti emanatio sit per actum amoris, videtur quod etiam secundum nostrum modum intelligendi, processio Spiritus Sancti non sit posterior divina generatione. Et confirmatur per Beatum Augustinum 9. De Trinitate ubi ait: Partum mentis antecedit appetitus. RESPONDENDO: dico quod, cum bonum cognitum sit obiectum voluntatis, necesse est cognitionem praecedere ipsum amorem; non igitur requiritur actus voluntatis absolute propter cognitionem; sed magis econverso, licet requiratur ad continuandam ipsam cognitionem, quia nisi cognitio placeret, citius dissolveretur. Item, coniungens praesupponit ea quae coniungit, sed actus amoris coniungit ex parte intellectus prolem parenti, ergo modo nostrae cognitionis actus amoris praesupponit genitam prolem. Quamvis etiam instantia ista habeat aliquem colorem, quo ad nostrum intelligere, quod procedit de imperfecto ad perfectum, et per consequens prima nostra notitia non est verbi productiva. In divinis tamen haec instantia modicam habet apparentiam, quia notitia Dei patris non progreditur de imperfecto ad perfectum, et ideo per primum suum intelligere, quia perfectissimum erat, potuit verbum producere. Auctoritas Augustini intelligenda est de nostro intelligere, quod quamvis praecedat appetitum secundum primos motus seu secundum suum esse imperfectum, sequitur tamen ipsum quo ad suam continuationem perfectam.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum paternitas sit prior spiratione activa? Dico quod paternitas et spiratio activa, cum in persona patris dicant eandem rem, sicut infra patebit, ubi probabitur quod, quamvis dicant duas relationes reales ratione duorum suorum terminorum realiter distinctorum, qui sunt Filius et Spiritus Sanctus, non tamen sunt duae res, sed una tantum ratione unius immediati fundamenti, quod est persona patris, in qua immediate fundantur. Ideo inter paternitatem et spirationem activam non potest esse aliqua realis prioritas, quia omnis realis prioritas praesupponit distinctionem realem illius, quod dicitur prius a suo posteriori, sed illa non sunt realiter distincta. Est tamen paternitas prior spiratione modo nostrae cognitionis, quia quandocunque intellectus concipit aliqua in eodem, unum ut suppositi constitutivum et alterum ut non constituens, sed praesupponens suppositum constitutum, illud, quod constituit concipit ut prius et non constituens ut posterius, sed paternitas personam patris constituit et spiratio ipsam constitutam praesupponit, ergo etc.

SED FORTE dicetur, quod cum nostra cognitio incipiat a magis confusis et universalibus, et spiratio sit communior paternitate, cum sit communis patri et filio, videtur quod modo nostrae cognitionis debeat dici prior, hac enim ratione essentia modo nostrae cognitionis est prior omni personali proprietate, quia omni proprietate essentia videtur esse communior. RESPONDEO quod hic dupliciter aequivocatur. Primo, scilicet de cognitione, quia non quaerimus hic quid primo cognoscat noster intellectus, et de hoc procedit instantia. Sed quaerimus duobus vel pluribus oblatis intellectui, quod talium obiectorum intellectus dicat prius esse aliis. Quamvis enim intellectus necessario prius cognoscat creaturam quam Deum, tamen naturali sua cognitione dicit Deum esse priorem creatura. Sic dato quod communis spiratio esset prius a nobis cognita quam generatio, quia tamen communis notio secundum nostrum modum intelligendi videtur quasi adventitia esse personae constitutae per paternitatem, ideo intellectus adhuc diceret paternitatem esse priorem spiratione. Secundo aequivocatur de communitate, quia illud [148] commune, quod est magis notum, vel prius notum nobis notitia intellectiva, est commune per abstractionem, puta illud quod est magis confusum. Sed spiratio activa non est magis abstracta quam generatio. Et cum dicitur quod essentia divina intelligitur esse prior proprietatibus, quia communior, dico quod illa communitas non est causa huius prioritatis, sed praesuppositio naturalis, quam videt intellectus in creaturis, ubi omnis proprietas suum fundamentum naturaliter praesupponit, ad quarum creaturarum similitudinem concipit in divinis huiusmodi prioritatem, non obstante reali identitate proprietatis cum huiusmodi divino fundamento.

QUANTUM AD QUARTUM principale, utrum pater sit prior filio, dico consimiliter ad tres praecedentes conclusiones. Primo, quod nulla inter patrem et filium potest esse realis prioritas, quia summe et simpliciter aeterno nihil realiter potest esse prius, sed ut dicitur in symbolo, aeternus pater, aeternus filius, aeternus spiritus sanctus. Et ibidem, neque prius, neque posterius, neque maius, neque minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales. Secundo dico quod persona patris poterit aliquo modo esse prior ratione respectu personae filii, quia eo ipso, quod noster intellectus in omnibus creaturis videt universaliter omne generans esse naturaliter prius genito, ergo in divinis inter gignens et genitum huiusmodi prioritatem poterit ponere, saltem secundum rationem. SED SIC dicendo habeo contra me duas solemnes opiniones, quarum prima negat prioritatem inter patrem et filium, etiam secundum rationem. Secunda nititur ostendere aliquam prioritatem esse inter eos praeter prioritatem rationis. PRIMAE OPINIONIS doctores arguunt sic. Quae sunt simul naturali intelligentia, unum non potest esse prius altero secundum rationem, sed relative opposita sunt huiusmodi, ut patet in Praedicamentis. Praeterea, illud, quod est prius altero secundum rationem, potest intelligi sine eo, sed pater non potest intelligi sine filio, ergo etc. Maior patet. Probatur minor, quia qui intelligit patrem, vel intelligit eum ut ad se, velut est ad aliud. Primo modo esset falsus intellectus, quia ut sic pater intelligeretur ut suppositum absolutum. Si secundo modo sic, necessario intelligitur filius. HOC IDEM arguit quidam alius doctor sic. Si pater esset prior filio, vel hoc esset ratione essentiae, vel ratione relationis, quia non possumus dare plura in patre, nisi essentiam et relationem, sed non primo modo, quia essentia est penitus eadem in patre et filio. Nec secundo modo, quia relative opposita sunt simul natura et naturali intelligentia. SED ILLA non concludunt, quia intellectus distinguens aliqua per comparisonem ad aliqua distincta, quae tamen in seipsis sunt omnino realiter idem et penitus indistincta, ille in quam intellectus potest concipere prius, et posterius inter ea, quae omnimodam habent coexistentiam simultatis. Ista patet, quia magis opponuntur distinctum et indistinctum cum sint contradictoria, quam prius et posterius, quae videntur esse desperata se secundum istos doctores, humanus intellectus distinguit inter divina attributa, quae in seipsis intrinsece omnino sunt idem realiter, ergo etc. 2. Praeterea, ubi est dare primum, secundum et tertium, ibi saltem secundum rationem est dare prius et posterius. Illa patet, quia secundum est primo propinquius

quam tertium, et per consequens est prius, ut patet 5. Metaphysicae. Sed nos concedimus patrem esse primam personam in divinis, cum sit fontana deitas secundum Dionysium, et filium secundam personam tanquam a patre immediate productam, et spiritum sanctum tertiam, quasi ab utroque procedentem, ergo saltem secundum rationem sine nostro modo cognoscendi, poterimus ibi assignare prius et posterius. 3. Praeterea, omne producens secundum rationem prius concipitur esse, quam producat, ergo pater praeconcepitur generatione secundum suum esse personale, sed generatio secundum nostram rationem est prior filio, quia via secundum rationem est prior termino, ergo pater secundum rationem est prior filio, quia secundum rationem est prior termino, ergo pater secundum rationem est prior filio, quia quicquid est prius priore, est etiam prius posteriore. AD PRIMUM ergo dicendum quod quantumlibet aliqua simul intelligantur, tamen si intellectus discernit unum esse productum, et alterum producens, ipse poterit producenti tribuere rationem prioris, et producti rationem posterioris, non ratione qua relativa sunt, sed ratione, qua una persona producens est et altera producta, et maxime, quia in omnibus creaturis ex quibus nostri intellectus oritur cognitio, semper productum posterius est producente, ergo a simili potest concipere in divinis. Ad secundum nego maiorem, quod quantumlibet causa ut causa est, non possit intelligi sine causato vel causabili, intelligitur tamen naturaliter causa fore prior causato, ergo etc. Ad tertium nego minorem, quia essentia ut est in patre potest concipi sub ratione prioris, et ut est in filio sub ratione posterioris, quia sicut in realiter distinctis illud, quod addit super alterum, si additio est realis, tunc realiter est posterius eo, sic in non distinctis realiter; illud, quod habet se per modum additionis ad seipsum, ad minus secundum rationem est posterius seipso, sed essentia ut est in filio, addit super seipsam, ut est in patre esse communicatum, ergo filius ratione essentiae potest concipi esse posterior patre secundum humanam rationem. Etiam nego minorem quantum ad alteram sui partem, quia (sicut isti doctores met dicunt, et bene) qualem ordinem realem habent aliqua inter se, ubi differunt realiter, talem ordinem rationis habent cum differunt ratione, unde quia videmus quod, ubi intellectus et voluntas differunt realiter, intellectus realiter est prior voluntate, ideo in Deo, ubi solum differunt ratione, dicimus intellectum rationem esse priorem voluntate. Sed in his, ubi proprietas constitutiva suppositi generantis differt realiter a generatione, ipsa talis proprietas est realiter prior generatione, ergo in divinis, ubi paternitas, quae est patris constitutiva proprietas, differt secundum rationem a generatione, ipsa secundum rationem potest dici prior generatione. Sed quod est ratione prius generatione, etiam est ratione prius genito, ergo persona patris etiam propter suam proprietatem relativam potest dici prior filio saltem secundum rationem. ALII ETIAM, ut praedixi, ponunt prioritatem in divinis,¹ quae non est prioritas rationis tantum, sed secundum aliquos dicitur prioritas realis secundum quid, secundum alios dicitur prioritas naturalis praesuppositionis. De hac tamen praesuppositione ad praesens nihil dicam, quia locum habet circa distinctionem 12. Et secundum alios dicitur prioritas originis. PRIMI DICTUM suum declarant sic. Sicut in multitudine simpliciter reali est ordo simpliciter realis, et per consequens prius, et posterius simpliciter realia; sic ubi est multitudo realis secundum quid, possumus ponere prius, et posterius reale secundum quid; sed ubi aliqua multa differunt secundum esse, est multitudo simpliciter realis; ubi autem sunt multa non secundum esse, sed tantummodo secundum modum essendi sicut in divinis, ibi est multitudo realis non simpliciter; sed secundum quid, ergo in divinis propter diversitatem realium modorum essendi erit ibi prius, et posterius realiter, quamvis secundum quid. SED ILLUD non intelligo, quia aut ille per modos illos reales intelligit modos absolutos, et sic contra eos argui superius distinctione. 8, ergo quo ad hoc ad praesens dimitto. Aut intelligit modos relativos et sic dico quod inquantum oppositi sunt utique realiter differunt; sed cum hoc realiter simul sunt, nec aliqua realis prioritas poterit poni inter huiusmodi relationes. Si autem tales modi sunt desperati, tunc adhuc realiter coaeterni sunt ratione coexistentiae, qua coexistent [149] modis directe relative oppositis. Alii, dicentes

¹Opinio. 2 Iacobus quaestione 30. De praedicamentis

quod in divinis sit prius et posterius originis, seu secundum originem naturalem, probant hoc primo auctoritate Augustini in libro De triplici habitaculo, ubi sic dicit: Cum iusti fuerint in patria, videbunt quid interest inter generationem et processione, et videbunt quod pater praecedit filium, non natura, sed origine. 2. Item, Richardus 6. De Trinitate loquens de priori et posteriori in divinis sic ait: Prius et posterius in hoc loco intelligi volumus, non temporis successione, sed ordine naturae. 3. Praeterea, I. Posteriorum dicitur: Primum est quod sic se habet, quod alteri convenit aliquid per ipsum, et sibi non per alterum. Sed filio et Spiritui Sancto convenit esse per patrem et patri non per eos, ergo etc. 4. Praeterea, pater est principium filii, ut patet per Augustinum 5. De Trinitate, sed ut dicitur I. Posteriorum, primum et principium idem sunt, ergo pater est prior filio. 5. Praeterea, posset gratia disputationis argui quod pater esset prior filio duratione, quia, sicut se habet corruptio ad desinere esse, ita generatio ad incipere esse; sed omne corruptum definit esse, ergo omne generatum incipit esse, quod autem incipit esse non est aeternum, ergo filius non est aeternus. 6. Praeterea, quodcumque aliqua sunt idem, si unum habet principium, et reliquum; sed esse filii in divinis et duratio sua sunt idem, cum ergo filius habeat principium sui esse, etiam habebit principium suae durationis. Omne autem, quod habet principium durationis, est temporale. 7. Praeterea, ubicumque est numerus, ibi est prius et posterius; in divinis est numerus, cum ibi sit ternarius. 8. Praeterea, proprium naturaliter est posterius eo, cuius est proprium; sed in Deo est proprium, puta proprietates personalis et illud, cuius est proprium, puta persona, etiam est ibi proprietates essentialis et essentia. 9. Praeterea, ut patet in Praedicamentis, unus modus prioritatis est quando aliqua convertuntur secundum existendi consequentiam et tamen unum est causa alterius; sed pater et filius etc. 10. Praeterea, quicquid est primo propinquius, hoc est realiter prius; sed filius est immediatior patri, quia spiritus sanctus procedit a patre mediante filio, ideo etc. SED ISTUD non valet, quia prius origine non ponit numerum cum priori natura et cum priori secundum cognitionem sive rationem, quia quodcumque aliquid originatur ab aliquo, vel distinguitur et numeratur natura in producente et producto et tunc prius origine est idem, quod prius natura, vel sic producit, quod tamen manet in eadem natura cum producente et capit idem esse cum eo, tunc prius origine non est aliud quam prius ratione. Et per hoc ad auctoritatem Augustini patet, quia filius in divinis sic producit, quod tamen manet in eadem natura cum patre et capit idem esse cum eo. Ad secundum dicendum quod quamvis in divinis sit ordo naturae, quia filius habet naturam a patre, et non pater a filio, tamen ille ordo non est in diversitate naturae, sed fundatur super eadem naturam et super eodem esse, et ideo quamvis filius sit a patre, quia tamen idem esse divinum capit cum patre, ideo non est posterior patre, nisi secundum quod intellectus concipit patrem et filium in comparatione eorum, in quibus productum taliter originatur a producente, quod etiam ab eo numerata natura distinguitur et est simile de ista priori et posteriori, sicut superius dictum est de attributorum distinctione. Ad tertium dicendum, quamvis filius accipiat esse a patre, accipit tamen idem esse, ergo non est posterior eo nisi conceptu rationis. Ad quartum dicendum quod primum principium et causa idem sunt in rebus creatis, quia in creatis causa, sive principium est illud, ad cuius esse sequitur aliud et ideo in talibus potest esse primum et prius et posterius; non autem in divinis, quia filius non est aliud a patre, sed est idem patri in esse et in natura, et ideo est sibi totaliter coaeternus. Sicut enim idem non potest esse prius seipso, nisi secundum rationem, sic nec pater filio propter identitatem naturae et propter oppositarum relationum simultatem et mutuam coexistentiam. Ad quintum dicendum quod non est simile de generatione et corruptione, nisi loquendo de illa generatione, qua genitum accipit naturam, et esse distincta realiter a natura et esse generantis. Etiam potest dici quod quamvis res genita per generationem accipit esse, quod tamen incipiat esse per accidens est, quia hoc per se non convenit ei ratione generationis, sed ratione annexae privationis cum suo principio materiali, propter quam suum non esse praecessit suum esse. Ad sextum dicendum quod sicut filius taliter habet principium sui esse, quod tamen accipit idem esse quod est sui principii esse, sic habet principium suae durationis, quod accipit eandem

durationem realiter et complete, quae est sui principii duratio, puta divinam aeternitatem. Ad formam argumenti dicendum quod ibi aequivocatur de principio durationis, quia in praemissis accipitur principium, quod est durationis communicativum. Sed in ultima illatione, cum dicitur quod habet principium durationis est temporale, ibi accipitur principium, quod est durationis limitativum, quod est limes et terminus durationis, quo formaliter et intrinsece quandoque caepit esse duratio. Et isto secundo modo nulla divina persona habet principium durationis, cum omnes tres personae habeant unam durationem, quae est simplex aeternitas, quae dicitur ab. **Eustratio** quod est extra, et termino, quasi extra terminos omnino carens limite, et ex parte ante, et ex parte post. Primo tamen modo filius habet principium durationis suae, quia sicut in illa ineffabili generatione pater communicat filio suam deitatem, sic etiam communicat ei suam aeternitatem. Ad septimum dicendum quod sicut in divinis est sapientia et magnitudo, non tamen quantitas vel qualitas, sic in divinis potest esse ternarius, non tamen est ibi numerus proprie dictus. Ad octavum, dicendum, quod maior non est vera, nisi in his, ubi proprium est realiter alterius naturae ab eo, cuius est proprium. Ad nonum dicendum quod pater non debet dici causa filii, quia causa est ad cuius esse sequitur aliud; filius autem quamvis possit dici alius a patre, non tamen dicitur aliud. Ad decimum dicendum quod pater dicitur producere spiritum sanctum mediante filio, non quod pater non immediate producat spiritum sanctum, sed hoc dicitur pro tanto, quia filius virtutem spirativam habet a patre. AD ARGUMENTUM principale nego maiorem in his, ubi generans et genitum solum distinguuntur relative et penitus in nullo absoluto sunt distincta. Ad probationem dico, quod in relativis esse relativum innascitur, vel resultat ex ipso agere, ergo in his, quae sola relatione distinguuntur, esse non potest praecedere ipsum agere, quamvis sit ei coaeternum.